



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA DATA
CAMILLO S.R.E. CARDINALI RUINI,
VICARIO GENERALI PRO ROMANA DIOECESI,
PRAESIDI COETUS
EPISCOPORUM ITALIAE***

Venerabili Fratri Nostro

CAMILLO S.R.E. Cardinali RUINI

Vicario Generali pro Romana Dioecesi

*Praesidi Coetus Episcoporum Italiae Bononia, nobilis Italica urbs, proxime summo gaudio exsultabit, currente videlicet Septembri mense, quandoquidem XXIII ibi Eucharisticus Congressus Nationalis celebrabitur plurimis adstantibus Fratribus Cardinalibus et Episcopis, sacerdotibus et religiosis sodalibus necnon fidelibus laicis qui omni ex Italica Natione illuc congregabuntur ut propalam suam testentur translaticiam fidem in inenarrabile Corporis et Sanguinis Christi mysterium. Ne vero ulla omnino eiusdem praeclarae celebrationis pars favore Nostro aut consensu careat neve ipsa quasi praesentia efficax Nostra et vox et maxima auctoritas ulli peculiari eius actui deesse videatur, optata quoque explentes Venerabilis Fratris Nostri Iacobi Cardinalis Biffi, Archiepiscopi Bononiensis, eiusque ecclesialis communitatis, mittere quempiam sacrum Praesulem statuimus, qui personam Nostram illic tueatur praesentiamque Nostram significet. Quapropter hisce datis Litteris Te, Venerabilis Frater Noster, cuius iam pridem cognovimus doctrinae integritatem solidamque percepimus pietatem ac fidelitatem erga hanc fidei nostrae veritatem cuiusque pastorale perspeximus studium cunctos fideles proprius usque adducendi ad tam uberem gratiarum consolationumque fontem, *legatum nostrum*, destinamus ac renuntiamus, ut a die XX ad diem XXVIII proximi mensis Septembribus Bononiae Nostro nomine et auctoritate sollemnibus illis sacris praesideas et congressionibus et omne genus celebrationibus quae in tanto ecclesiasticali eventu peragentur. Illuc iam nunc sensus evolat Noster et affectus; illic iam astare Nobis videtur dum ipsis his Litteris Nostris Tecum parumper colloquimur eadem de re atque mentem Nostram Tuis de partibus in illo Congressu aperimus. Nec ignoramus quanto fervore animi ac mentis alacritate demandatum ita Tibi officium sis pro Nobis expleturus. Ibi enim salutationes Nostra ex voluntate pronuntiabis, instructiones et cohortationes pariter imperties; docebis hoc Eucharisticum Mysterium rectam tutamque esse viam ad animos hominum mutuo conciliandos, ad pacificam reddendam humanam consortium nec non ad veram societatis praestandam progressionem. Nos Ipsi libentissimi aderimus ut celebritatibus illic peragendis sollemnem imponamus finem. Ut autem ex Congressu Eucharistico illo copiosissimi percipientur fructus*

unitatis et pacis, Deum plurima prece obtestamur, dum haec cogitata Nostra Tecum amanter studioseque
communicamus atque Apostolicam Benedictionem, cuiusvis boni caelestis certius quoddam pignus, tam Tibi quam
cunctis Congressui astantibus benignissime impertimus.*Ex Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Iunii, anno MCMXCVII,*
*Pontificatus Nostri undevicesimo.*IOANNES PAULUS PP. II © Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana